



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

SS. Claudius, Asterius, Neon MM. 13. Augusti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

326 VITÆ SANCTORUM. 13. Aug.  
vas exportavit. Sed & nutrices pro una  
illâ tot illic invenit, quot feras, quæ  
triginta & duos annos aluere hospitem.  
Immortua est rupi (lectus hic illi erat)  
adversus plurimos insultus dæmonis ma-  
li ipsa etiam rupes. Ex Meneis.

Caro pretiosis indumentis cooperta quid  
aliud est, quam caro fœtidæ, corruptibilis,  
necnon ex omni corporis meatu scaturiens  
insaniem, quam non valet sustinere visus,  
olfactus percipere, neque ipsa hominis natu-  
ra perferre? S. Laur. Iust. l. de Humil.

SS. CLAUDIUS, ASTERIUS,  
NEON MM. 13. Augusti.

P Otest Ægæa hodie invidiam Romæ  
facere, & tergeminos fratres & ipsa  
suos jactare, Horatiis vel ideo fortiores,  
quod vivus è pugnâ nullus abierit, omnes  
ceciderint victores. Illis nomina sunt  
CLAUDIUS, ASTERIUS & NEON,  
dissimilia vocabula, cæterum virtus sub-  
pectore eadem planè & constantia. Pri-  
mò singuli, tum totâ fraternâ acie pugna-  
runt; nec intres solum hostes, sed in  
totas carnificum cohortes. Videlicet ad  
servilem metum, virgas, cederent Chri-  
sti milites? Risum hæc, non gemitum ex-  
pressere. Jam unci ferrei & ungulæ bu-  
bulique nervi in lacerato corpore inte-  
grum animum prodiderunt. Prunis &  
cum prunis tyranno insultarunt etiam.

Tadas

Tædas corpori admotas fortior ignis  
extinxit *Dei* amor. Et equuleo vero  
velut è cathedrâ, pulcherrima & dignis-  
sima Philosophiâ Christianâ oracula edi-  
derunt. Post tot igitur pugnas meritò  
denique in cruce triumphavit nobilis  
fratrum ternio. Neque obsuit triumpho  
huic, quod corpora feris avibus præda  
cederent, cum nobilissimam eorum par-  
tem animam beatiores jam volucres ab-  
stulissent. Ex Lippeloo.

*Renatus & à Deo adoptatus in filium,*  
*imaginem tui porta auctoris, non mæstla-*  
*te, qua solus est, sed innocentia, simplicita-*  
*te, mansuetudine, patientia, humilitate,*  
*misericordia qua dignatus est nobis fieri*  
*& esse communis. S. Pet. Chrys. serm. 117.*

S. PHILIPPUS ORD. SERV.  
B. M. V. 23. Augusti.

Multam multi servitutem serviant,  
nulli honestiorem, quam qui ser-  
vos se Virginis gloriantur. Horum æ-  
dem, quæ Florentiæ est & Mariæ ab  
Angelo salutatæ fert nomen, ingressus  
PHILIPPUS noster, dum illa ad alium  
Philippum verba leguntur, Philippe ac-  
cede & adjunge te ad currum istum, vi-  
det cœli Dominam aureo in curru à bea-  
tis mentibus stipari, ab ove & leone  
trahi, videt cœlestè donum atri coloris ve-  
ste in sibi porrigere. Prodigium hoc alte-  
rum